

72
nostris abluendis. **B**enedico et glorifico te. p[ro] re-
uelatione celestium secretorum. p[ro] summe trinitatis p[re]sencia
manifeste ostensa. p[ro] eterne vite introitu patefacto. p[ro]
beati precursoris tui Johannis baptiste mirifica illu-
minatione. humilima responsione. et prompta eius obe-
dientia **Q**ui ihesu rex altissime. quoniam te hodie pro me
vilissimo peccatore inclinasti. quanta diuine gratie mihi do-
na modo declarasti. **R**espice in me et miserere omnium peccato-
rum meorum que varijs modis pertraxi. a p[re]te et oculis
te **P**eto a te baptizari in spiritu et igne **I**n multis enim tuam
offendi pietatem **A**mplius laua me ab iniquitate mea. et
a peccato meo munda me. **N**emo enim mundus a sorde. nec
infans unius diei super terram. nisi tu solus mundus et
mundator solus sanctus et sanctificator. qui peccata habes
hominibus dimittere peccata eorum. p[ro] multitudinem mise-
rationum tuarum **O**bscuro d[omi]ne uiuat anima mea. ob gratiam
tui. nec memor sis iniquitatum mearum antiquarum. sed velut
aqua renoua iuuentutem meam. dimitte preterita. fac cauere
futura et nouam mihi infunde gratiam. ad tue diuinita-
tis perpetuam gloriam promerendam

De ieiunio et temptationibus inuictissimi Ihesu
Benedico et gratias ago tibi domine Iesu christe
pro sacro ieiunio tuo. quod in deserto quadra-
ginta diebus ac noctibus. ad dandam nobis abstinendi
normam solitarius peragisti. ubi tanquam heremita cum bes-
tibus eras sine hominum solatio. sed angelico nullate-
nus destitutus consortio. religiosis omnibus magnam in hoc
seculo abstracte vite exemplum commendando **L**audo
et honorifico te ihesu christe. tibi angelorum. et hominum
refectio pro longo famis cruciatu. pro mira abstinencia.
et dura sanctissimi corporis tui castigacione p[ro] mul-